

quilibrium, id quod tamen non facit, quia ipsi resistit exterior vasis aqua GA, ipsi pariter altitudine æqualis. Verbo, quantò cylindrus aquæ AB altero CB est altior, tantò contrà altior est etiam aqua in vase DA ipsi resistens, quàm aqua CF in vase altero.

Fig. XXVI.
B

Causa IX.
Phæn.

CONCLUSIO X. Quod denique pendulos, post Phænomeni VIII. casum, cylindrulos, AMCN in Fig. XXVI. attinet, isti quidem hanc causam videntur agnoscere: Aër ec (Fig. XXV) sequens aquam cb vi Conclus. VII. uti facile subrepat, ita eam quodammodo antevertit; cumque ob aquæ resistantiam paucior admissus esset quàm qui totum siphonem ABC, vel etiam spatium minus MBN sine aliqua sui expansione replere posset, expansus aliquantum & sic remittens de suo elatere, non erat tam validus ut reliquias aquarum quibus se intermiscuerat, penitus expelleret; fortiùs quippe renitente externo aère, quippe in solito compressionis statu adhuc constituto, & elatere integro resistentis &c.



TENTAMEN VI.

Consectaria quedam è comprobato superius aëris perpetuò gravitantis pondere deducens, partim etiam ipsis oculis exhibita.

CONSECTARIUM I.

IPSâ re commonstratum est siphonis recti pistillum AB (Vid. Fig. XXVII.) difficillimè attrahi, si clausum prius firmiter fuerit foramen C, ut aërem non admittat; cum alioquin aperto orificio C facile attrahatur. Ratio patebat ex dictis, quia scil. in hoc posteriore casu aër per foramen C admissus tantundem premit embolum, quantum aër ipsi in A incum-